

*MASTER  
NEGATIVE  
NO. 91-80180-27*

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the  
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the  
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from  
Columbia University Library

## COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:*

VOMEL, JOHANN TH.

*TITLE:*

INTEGRAM ESSE...

*PLACE:*

FRANCOFURTI

*DATE:*

1828

Master Negative #

~~91-80180-27~~

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES  
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88DD

Z8

v.9

Vömel, Johann Theodor, 1791-1868.

... Integram esse Demosthenis Philippicam II  
apparet ex dispositione. Francofurti, typis  
Broennerianis, 1828.

15 p. 21 cm.

At head of title: Examina solemnna Gymnasii  
Francofurtensis ... publice celebranda ... indi-  
cit Ioannes Theodorus Vömel ...

Restrictions on Use:

-----  
TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm

REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA  IB IIB

DATE FILMED: 8/14/91

INITIALS ED

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





**AIM**

**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100  
Silver Spring, Maryland 20910



301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS  
BY APPLIED IMAGE, INC.



0

ON

PHO

8870

Z8

Columbia University  
in the City of New York

LIBRARY





101

**EXAMINA. SOLEMNIA.**  
**GYMNASII. FRANCOFURTENSIS.**

JUSSU. ET. AUCTORITATE.

**SUMME. VENERANDI. CONSISTORII.**

AUG. CONF.

HOC. IPSO. AUCTUMNO.

PUBLICE. CELEBRANDA.

EA. QUA. DECET. PIETATE. ET. OBSERVANTIA.

INDICIT

**Ioannes. Theodorus. Voemel.**

Rector et Professor.

---

*Integram esse Demosthenis Philippicam II apparet ex Dispositione.*

---

**FRANCOFURTI. MDCCCXXVIII.**

**TYPIS. BROENNERIANIS.**

Oct. 24, 1921/1922

88DD  
Z8

19

*Qua occasione Philippicam II Demosthenes habuerit, paucis adumbratur*<sup>1</sup>.

**Philippus**, pace cum Atheniensibus constitutâ, Thermopylis obsessis, bello Phocensi finito, in Amphictyonum concilium receptus, quas res nuper Prolusione scholasticâ enarravimus, viam sibi munivit et in Atticam et in Peloponnesum invadendi eoque rem redegit, ut Atheniensibus non jam de tuendo jure Græcorum exterisque ditionibus defendendis consultandum esset, sed de patrii soli agris et de bello imminente Atticae. Mari enim quum Athenienses valerent (ad Dem. Olynth. III. p. 29. §. 5. n. 3), Philippus nunquam in interiorem Græciam penetrare potuisset. Dem. Phil. II. p. 74. §§. 35 sq. Deinde quamdiu bellum Phocense gerebatur et Phocenses Thermopylas tenebant, nihil Atheniensibus a Thebanis timendum erat, ut quibus a tergo usque acerrimi hostes Phocenses ingruerent; itaque Eubœa, Attica et Peloponnesus tum a Philippo tum a

1) Secutus sum in hac adumbratione, ne longior essem, Goelleri Prolegomena in Demosthenis orationes de repl. habitas. Colon. 1823. 4to p. 25 sqq., Jacobsii et A. G. Beckeri Prolegg. in Versione. Paulo plura congressimus in nostris Prolegomenis ad Philippicam II.

Thebanis tutae erant. Ne dicam alia commoda eaque gravissima, quibus post Phocidis eversionem Athenienses privabantur. Dem. f. leg. p. 367. §§. 83 sq. Quid multa? totum belli exitum qui talis esse potuerit, nemo Atheniensium assequutus est; Philippus, quae volebat, confecit omnia. Dem. f. leg. p. 445 sq. §§. 326 sqq.

Namque rebus Phocicis compositis iste, ut undique tutus esset, Illyrios omnino devicit Olymp. CIX, 1. a. Chr. 344 (Diodor. Lib. XVI. cap. 69) contra bellicosissimos fraude usus; victus enim ab iis mortuos ad sepulturam postulavit, quos concedentes, quum extremi caesi apporarentur, dato signo imprudentes obruit (Polyaen. Lib. IV. cap. 2. §. 5) obrutosque per Pezetaeros in obedientiam imperiorum retinuit. Etym. M. p. 699, 47.

Tum Thessaliae res et Peloponnesi maxime oculos regis in se converterunt. Thessalos, quos vix a tyrannis liberaverat et in Amphictyonum concilium receperat, dolo sibi subiecit. Quum enim tanquam amicus Larissam sedem Aleuadarum venisset, ut eorum potentissimorum nobilium aedificia (munita) demoliretur, morbum simulavit, quo eos ad visendum accedentes comprehenderet. Bescus autem Aleuadis insidias enuntiavit, quare id quidem iste vindex libertatis non effecit (Polyaen. Lib. IV. cap. 2. §. 11. cl. Buttmann. de Aleuadis in Actis Academ. Berolin. 1822 sq. p. 209), sed Pheras expugnavit, quia Pheraei biennio ante castra ipsius (Prolus. nostra de bello Amphipol. §. 19. n. 7) non secuti essent; quumque postea (Olymp. CVIII, 2. a. Chr. <sup>347</sup>/<sub>346</sub>) rebellaturis Magnesiam reddidisset, tunc bello non indicto urbem expugnavit et expugnatae praesidium imposuit novamque regiminis formam constituit, scilicet ut suis legibus viverent. Dem. Phil. III. p. 113. §. 12. Universam enim Thessaliam novam ratione in Tetrarchias descripsit suorumque amicorum fidei commendavit (ad Dem. Phil. II. p. 71. §. 22. Cherson. p. 104. §. 59: Pseudo-Dem. Halonn. p. 84. §. 32) et metu sibi subjectos retinuit. Polyb. Lib. IX. cap. 28. Vol. III. p. 150 Schw. Nec solum

praesidia in nonnullas arces vel corruptione vel amicitiam sibi traditas imposuit (Dem. f. leg. p. 424. §§. 259 sq.), sed etiam redivitibus potitus est (Olynth. I. p. 15. §. 22). Grati Thessali alios quoque Graecos ad foedus cum Philippo libenter ineundum allexerunt. Diodor. Lib. XVI. cap. 69. extr.

Tandem intellexerunt nonnulli Athenienses paulo post pacem initam, quod multi grato animo ducti non putabant, Philippi potentiam non pro Graecia, sed adversus ipsam augeri, eumque jam olim Atheniensibus insidiari, et tunc Messeniis verbo quidem auxiliaturum, re vera id agere, ut Peloponnesum in suam potestatem redigeret. Ac Thessali, inquit, et Thebani et omnes Amphictyones eum ducem libenter sequuntur; Argivi autem et Messenii et Megapolitani aliique multi ei futuri sunt belli socii ad delendos Lacedaemonios, quibus rebus confectis facile etiam ceteros Graecos superabit. Isocrat. Orat. ad Phil. Vol. I. p. 354 Aug. cap. 31 Lang. §§. 73 sqq. Bkk.

Factiones enim tum in Peloponneso: apud Arcades, Argivos, Eleos, Messenios, Sicyonios, Corinthios; tum extra Peloponnesum: apud Thessalos, Megarenses, Thebanos, Euboenses, alios, per suos homines ille agebat omnes. Dem. Cor. p. 231. §§. 18 sq. p. 324. §. 295. Cl. p. 241 sq. §§. 48 sq. Quos motus Phocense bellum in alteram Graeciae parte fecerat, eosdem tunc in Peloponneso et Philippi et Lacedaemoniorum dominandi cupiditas concivit. Namque Lacedaemonii exitu Phocensis belli irati nec, quid periculi a Macedone immineret, praevidentes, saltem in Peloponneso principatum recuperare tentabant. Idque vel maxime ex regis sententia accidit, qui, quum Argivi et Messenii opem implorassent, jam ut Lacedaemonii Messeniam excederent, postulavit (Dem. Phil. II. p. 69. §. 13) et pecuniam ac mercenarios Argivis et Messeniis subministravit, ipseque Olymp. CIX, 1 extremo sive a. Chr. 343 in eo erat, ut una cum illis magno exercitu in Laonicam invaderet

Dem. Phil. II. p. 69. §. 15<sup>2</sup>. Itaque Demosthenes paulo ante, medio Olymp. CIX, 1 anno sive a. Chr. 344<sup>3</sup>, cum Polyucto, Hegesippo, Clitomacho, Lycurgo et aliis Legationem Peloponnesiacam suscepit (Phil. III, p. 129. §. 72. Pseudo-Plutarch. Vit. Orat. 9. p. 347 et p. 349), cujus fragmentum recitavit in Philippicâ II (p. 70 sq. §§. 20 sqq). Qua in legatione exemplo Olynthiorum et Thessalorum Messenios Argivosque a foedere cum Philippo ineundo deterrere studebat; sed illi pergebant in Macedonis amicitia et promissis fiduciam ponere. Phil. II, p. 72. §. 26.

Post reditum Demosthenis, ante d. XVI<sup>mum</sup> Anthesterionis Olymp. CIX, 1 sive ante XIII<sup>mum</sup> Mart. 343 a. Chr., Callias Chalcidis tyrannus, Plutarchi Eretriensis adversarius, et Philippi modo quidem amicus, tunc autem inimicus, Athenas venit spesque vanas Atheniensium oratione ad populum habitâ de Peloponnesiis contra Philippum militaturis eo consilio aluit, ut ipsum contra eundem juvarent. Aeschin. c. Ctes. p. 482 sqq. R. §§. 89 sqq. Bkk. Vogel loc. cit. p. 165—168. Philippus autem fraude per Demosthenem legatum detectâ impeditus, quominus in Peloponnesum irrueret (Dem. Phil. III. p. 129. §. 72), tanquam

2) Dem. Cor. p. 252. §. 79: *καὶ πρῶτον μὲν τὴν εἰς Πελοπόννησον πρεσβείαν ἐγραψα, ὅτε πρῶτον ἐκεῖνος εἰς Πελοπόννησον παρεδύετο.* Nec tamen ipse tum in Peloponnesum irrepit, sed misit tantum copias, ut ex Phil. II patet. Vid. Gæller Prolegg. p. 31. n. 35. Expeditio enim Philippi Peloponnesiaca post pugnam demum Chæroneusem sive post Olymp. CX, 3 a. Chr. <sup>338</sup>/<sub>337</sub> facta est. Gæller loc. cit. p. 30. n. \*. A. G. Becker. Versio Dem. Vol. II. p. 258. n. 14. Cf. Vogel Biogr. Vol. II. p. 290 sqq.

3) Gøller loc. cit. p. 31. not. 36. Vogel loc. cit. p. 288 sqq. *Πέρουσι* enim in Dem. Phil. III. p. 129, §. 72: *αἱ πέρουσι πρεσβεῖαι*, quod qui aliter sentiunt, arctius arguit, etiam latius dicitur de quoque praeterito tempore. *Πέρουσι ὁ παρεληλυθὼς χρόνος.* Hesych. — Xenoph. Hellen. Lib. III. cap. 2. §. 6 (7): *ἡμεῖς μὲν οἱ αὐτοὶ νῦν τε καὶ πέρουσι, ἄρχων δὲ ἄλλος μὲν νῦν, ἄλλος δὲ τὸ παρεληθόν.*

de injuriis iratus, legatos Athenas misit, Libanio certe auctore<sup>4</sup>, con-questuros: regem apud Graecos temere traduci, ut qui multa et magna pollicitus, nihil praestaret. Negavit se ille Atheniensibus unquam quicquam esse pollicitum, idque probaretur postulavit. Venerunt item conquerentes Messenii et Argivi legati, quod Athenienses cum Lacedaemoniis totius Peloponnesi imperium affectantibus colluderent. Non habuerunt Athenienses quod responderent; namque favebant quidem Lacedaemoniis in opprimendis Argivis Messeniisque, quos propter amicitiam oderant, qua cum Philippo juncti erant. Liban. loc. cit. Pausan. Lib. IV. cap. 28. §. 2; etenim statuas ei publice Argivi Arcadesque ponebant, atque, si in Peloponnesum venire vellet, amicum recipiendum esse decreverant. Dem. f. leg. p. 424. §. 260 sq. Nec tamen iisdem Atheniensibus Lacedaemoniorum probabatur consilium per vicinorum terras latius usque serpendi. Philippus autem neque literis ullam pollicitationem inscripserat (Dem. f. leg. p. 353. §. 39) neque per legatos unquam quid promiserat, qui per amicos populum Atheniensem in vanas spes erigere satius esse ducebat. Difficultate igitur respondendi laborabant Athenienses magnâ et cupiditatibus diversis aestuabant. Liban. loc. cit. Qua occasione Demosthenes usus, prodiit, ut fallacis et cupidissimi Philippi consilio detegendo suos cives ad prudentiam et fortitudinem excitaret.

4) Quanquam haec Philippi legatio neque a Dionysio H. Epist. ad Amm. cap. X. Vol. VI. p. 737 R. neque in Phil. II commemoratur; temere tamen Libanius eam cum priore epistolâ post Pylas occupatas missâ, de qua vid. nostrum Program 1827. auctumn. §. 9. p. 20, confudisse incusatur a Gællero Prolegg. p. 32. n. 40. Confudit utramque legationem Lucchesinius Annot. in Liban. Argum. Phil. II. n. 1. p. 378. ed. Rom.



*Mutilam esse Philippicam II. interpretes judicant.*

At in oratione nihil invenitur de responsione danda praeter haec verba p. 72. §. 28:

Ἄ δὲ νῦν ἀποκρινάμενοι τὰ δέοντ' ἂν εἴητ' ἐψηρισμένοι, ταῦτ' ἤδη λέξω. ἦν μὲν οὖν δίκαιον τοὺς ἐνεγκόντας τὰς ὑποσχέσεις, ἐφ' αἷς ἐπέσθητε ποιήσασθαι τὴν εἰρήνην, καλεῖν. I. e. Quae nunc respondenda, ut decet, decernere possitis, ea jam dicam. Et vero<sup>5</sup> aequum est, eos, qui pollicitationes attulerunt, quibus adducti pacem fecistis, citari.

Quem locum perperam tantum non omnes interpretes intellexerunt. Jam enim Libanius inde, ipsum responsionis exemplar a Demosthene propositum esse idque totius orationis primum fuisse consilium, cui reliqua et plurima et gravissima pro additamento accessissent, conclusisse videtur eumque secuti sunt reliqui, etiam Gællerus (Prolegomm. p. 32): „Hanc difficultatem respondendi, inquit, solvens Demosthenes oratione Philippicâ alterâ monuit, Aeschinem significans, ut qui Philippo per Pylas in Graeciam aditum parassent, iidem nunc Atheniensium nomine querentibus Peloponnesiis responsa darent“ etc. H. Wolfius autem ad l. cit. annotavit: „Responsa haec non sunt inserta huic orationi, sed illorum loco insectatio legatorum.“ Idem in Versionis margine, quae octonis foliis Basileae per I. Oporinum sine anno (1553) prodiit, Vol. I. p. 48. in fine: „Videntur nonnulla deesse.“ Augerus vero, qui ut alii (Leland Vol. I. p. 163. Ed. 3<sup>tiae</sup>, Cesarotti Vol. II. p. 44 sq.<sup>6</sup> in Versione Olivetum

5) Μὲν οὖν verti et vero, sive immo vero, enim vero, atque profecto. Est enim h. l. ἐπαρορθωτικόν. Hoogeveen. de partic. l. gr. s. v. Nro. XVI sqq. p. 359 sqq. ed. Schütz. Devar. d. p. l. gr. p. 210. ed. Reusmann. Leloup ad Isocrat. Euagor. p. 36 sq.

6) Vid. etiam recentissimos de Oratore non minimum meritis Interpretes: Schaeferum Appar. crit. ad h. l. et A. G. Beckerum Vers. Vol. II. p. 261. sq. et p. 258. Quid vero, qui nuperrime Demosthenis orationes edidit, quam editionem nondum vidimus, G. St. Dobson sentiat, ignoramus.

sequens Exemplar Responsionis deesse opinatus est Observ. p. 369, idem in Editione Orationum Philippicarum p. 204 sq. omnino omnia contorquet, dicens: „Interpretatus sum, quasi pro ἀποκρινάμενοι legeretur ἀνακρινάμενοι, iudicium habentes, quaestionem habentes, aut ἀποκρινάμενοι posset eo sensu accipi. Credebam me ex Libanii argumento ad hanc orationem aliquid desumtum auxilii, unde elucidarem hunc locum valde obscurum. Sed hae voces: ταῦτ' ἤδη λέξω, quae declarant oratorem mox locuturum esse de dandis responsionibus legatis a Philippo, ut Libanius existimat, quum tamen de hac re non exin loquatur, sed de aliâ prorsus dissimili, hae voces, inquam, difficultatem integram et spissas aequae tenebras relinquunt.“ Hactenus ille<sup>7</sup>; quid vero magis a pulcri conscientia abest atque cum omni arti tum eloquentiae alienius, quam quod idem Augerus<sup>8</sup> et alii Tourellum sequentes sentiunt? „Tanquam prolusione, inquit, atque praecursione hâc oratione contentionem de falsâ legatione proximo anno contra Aeschinem instituendam voluit orator excitare.“ Excitavit quidem ille contra adversarium vehementissimam et perpetuam contentionem, neque vero id fuit orationis consilium. Neque hoc, quod censet A. G. Beckerus interpres elegantissimus et doctissimus<sup>9</sup>, ut populus Atheniensis excusaretur. Immo eo consilio prodiit orator, ut Philippi clandestina consilia et dolos in Athenas totamque Graeciam subjiciendam machinatos ostenderet, quo metu commoti Athenienses, pacem a Philippo nunquam servatam et ipsi neglecturi, fortiter, strenue, prudenter, quae deceret, et responderent et agerent. Speravit fore, ut cives sui cum omnibus contra communem hostem societatem inirent. Ceteris rebus neglectis omnibus, in id, quod e re suae civitatis esset,

7) In secundâ Versionis Editione Vol. II. p. 128 eadem fere paucis repetiit: „Le texte est ici un peu embarrassé. Au moyen d'un léger changement, j'ai tâché d'en tirer un sens raisonnable et bien suivi.“

8) Version. l. c.

9) Version. Vol. II. p. 260 sq.

unum intentus, metu imminentis periculi animos auditorum excitavit; timuit enim, ne Athenienses vetere nominis Laconici odio, et specie quâdam potentiae suae splendidâ, scilicet unde Peloponnesii opem petebant, a vero reipublicae commodo et a discrimine totius Graeciae perspiciendo averterentur. Scite igitur atque sagaciter rerum a Philippo adhuc gestarum consilia et mox gerendam insidias ordine explicu it, et Athenas calliditate Philippi peti monstravit, praeclare id agens, ut simul audientes memoria majorum moveret et cum imprudentibus civibus, qui nec Graeciae nec Athenarum salutem curabant, caute ageret. Hoc unice vidit Jacobs<sup>10</sup>. Quibus praemissis facile cuique integram esse orationem ex dispositione apparebit. Sed antea monendum videtur:

*Quantam artem in singulis suo loco disponendis<sup>11</sup> exercuerit summus orator.*

Non apparet aut saltem vix apparet legenti dispositio artificiosa illa quidem orationum summarum, rudique omnia confusa et turbata esse videntur; Demosthenis vero oratio comparanda est flumini tum placido sedatoque tum tumido ac turgido, in quo flexus et undae non arcte circumscribantur, sed late profugiant, atque limite evanescente

10) Version. p. 342 sq.

11) De dispositione veterum studete, Vos carissimi Discipuli! operamque navate cum aliis libris tum *Aristotel.* Rhetor. Lib. III. capp. 13 sqq. Vol. II. p. 141 sqq. Sylb. Ejusd. Rhet. ad Alex. cap. 39 extr. p. 221 sq. — *Hermogen.* Invent. III. ibiq. *Laurent.* imprimis ad cap. XII. p. 87 sqq. et *Sturm.* fol. n. — *Cicer.* de Invent. Ejusd. de Orat. Lib. II. capp. 76 sqq. Ejusd. Partit. — *Quintil.* Inst. Orat. Lib. IV. et VII. *Vofs.* Orat. Institt. Lib. III. in operibus Vol. III. sive Philol. P. I. p. 103. sqq. — *Ernesti* Init. Rhetor. P. I. S. II. p. 774. sqq. Ejusd. Lexic. Techn. lat. s. v. Dispositio. Ejusd. Lexic. Techn. gr. s. v. Τάξις. — *Matthiae* Theorie des lat. Styls. §§. 25 sqq. p. 57 sqq.

dilapsurum fluctum excipiat novus. Tantus enim cursus verborum fuit et sic evolavit oratio, ut ejus vim atque incitationem adspiciamus, vestigia ingressumque vix videamus (*Cicer.* de Orat. Lib. I. cap. 35. §. 161). Quod legentem latet, meditantem studiose occupaverat. Consummatum enim illud opus nemo perfecit nisi partibus accurate diligenterque dispositis et argumentis rite collocatis, nec solum ordine, sed etiam momento quodam atque judicio dispensatis. Anteposuit argumenta, quibus docet, probat et confirmat; postponit alia, quibus amplificat, exornat et commovet. Demosthenes et Cicero et optimi quique oratores antea acute disserunt, deinde vela pandunt; sophistae ut fucum faciant, antequam probaverint, auditorum animos perturbant disjectis quoque partibus. Illorum autem oratio est tanquam corpus unum suis membris coagmentatum; nec tantum unum aut alterum recte illi disposuerunt, sed omnia, nec antequam alterum argumentum absolvissent nec nisi per transitum, alterum inchoaverunt. Quae dispositio locorum, tanquam instructio militum, facillime in dicendo, sicut illa in pugnando, paravit victoriam (*Auct.* ad Herenn. Lib. III. cap. 10). Interdum tamen ut in acie ordo (τάξις) immutatur ex oratoris prudentiâ et pro rei utilitate; varia enim et singula ad taedium vitandum elegantiam tractantur et varietate. Omnes igitur partes non modo ordine collocatae, sed etiam inter se junctae sunt atque cohaerent, ne commissura perluceat. Ita res diversae societate aliquâ cum prioribus ac sequentibus se copulâque tenent, ac non solum composita est oratio, sed etiam continua (*Quintil.* Lib. VII. extr.) At quae eximia ars ingenii est politi, exculti, perspicacis, ea, si praesertim Partitio praetermissa est, rudi atque imperito videtur arena sine calce acervata vel materia temere et fortuito congesta. Hoc evenit Philippicam II judicantibus mutilam esse; in quâ nunc delineandâ adhibemus § Bekker.

*Dispositio Philippicae II.**Prooemium.*

Attentos facit auditores orator

§ 1—4 reprehensione praemissâ et § 5 periculo significato.

*Ἐπιτιμητικὸν τὸ προοίμιον τῆς τῶν Ἀθηναίων ῥαθυμίας, ἔχει δὲ καὶ προσοχίην.* Schol. Bavar.

§ 1—2 Exprobrat Atheniensibus, quod ament quidem eos, qui Philippi injurias manifestent, sed applausu contenti, ipsi nihil agant, quo ille coërceatur.

§ 3—5. Mutandam nunc esse dicit consulendi rationem, et operere, ut oratores omnes et auditores salutaria jucundis anteferant.

§ 3. *Κατασκευή.* § 4. *Τὸ συμπέρασμα.* Schol. Bavar.

*Propositio.*

§ 6. Philippum ut potentem et fraudulentem hostem esse metuendum.

*Ἐν αἰρέσει αὐτοῖς δίδωσι τὸν πόλεμον, ἐκφυγὸν τὸ ἀποφῆνασθαι διὰ τὸ ἄδηλον αὐτοῦ.* Schol. August.

*Confirmatio.*

A. Ex signis propositio confirmatur. Ex iis enim, quae Philippus statim post pacem fecit, et ex iis, quae nunc facit, se civitati Atheniensium esse adversarium ostendit. § 7 13.

§ 7—9. Quia est amicus Thebanis, Argivis et Messeniis propter amplificandi imperii cupiditatem.

§ 10—13. Quia soli Athenienses integri et servitutis impatientes obstant Philippi cupiditati.

Hâc ipsa ratione Athenienses ad resistendum excitantur. „Schön ist es und klug, daß Demosthenes zugleich die Herzen der

Zuhörer durch die Erinnerung an ihre alte Würde und Weisheit erhebt, und des Königs bisherige Politik als eine Huldigung darstellt, die er den Grundsätzen und der Klugheit Athens gebracht. In dieser kühnen und glücklichen Wendung leuchtet uns das volle Gemüth, der eigenthümliche Geist, und die wunderbare Beredsamkeit unseres Redners entgegen.“ *Jacobs.*

*B. Refutatio § 13—17.*

§ 13. Philippum neque justitiae studio,

§ 14. neque coactum Thebanis esse amicum;

§ 15. sed Lacedaemonios ut deprimeret.

§ 16. Conclusio, et expositio secundae (§ 14) conjecturae: non agere eum, quod coactus sit,

§ 17. sed quod vult imperare.

*C. Regressio ad Propositionem cum Transitione.*

Ex ingenio regis et Atheniensium demonstratur, illum his insidiari.

§ 18. Quod imperare vult, Atheniensibus insidiatur, et Athenienses scit id animadvertere. Dum

§ 19. Thebani et Peloponnesii propter avaritiam praesenti statu acquiescunt.

*D. Pars orationis ad Messenios habitae. § 20—25.*

*Ἀργεῖοι οὐ πεισθέντες αὐτῷ, ἐβλάβησαν τὰ μέγιστα. βούλεται οὖν εἰπεῖν τὴν δημηγορίαν αὐτοῦ, ἵνα πείσῃ τοὺς Ἀθηναίους δι' ἃν ἤδη τὰ συμφέροντα συνεβούλευσεν, οἷς Ἀργεῖοι μὴ πεισθέντες προὔδεδθησαν.* Schol. August.

„Apostrophe. — Acutissimum exemplum in Philippicis Demosthenis, ubi, quibus verbis populum Atheniensem monitum vult, ea

se dicit apud Graecos, et Arcadas et Messenios, concionatum invidiose.“ Aquil. Rom. de Figur. cap. IX. p. 150. Ruhnk.

„Schön und zweckmäfsig ist die Anführung der Worte, mit denen Demosthenes die Messenier gegen des Königs Verheifsungen gewarnt hatte. Sie frischen in dem Gedächtnisse der Zuhörer das Andenken an die zahlreichen Beispiele der Treulosigkeit Philipp's auf; in dieser Gestalt konnten die bekannten Thatsachen neu erscheinen und ihre Wirkung konnte, wie die des äsopischen Apologs, lebendiger seyn.“ *Jacobs.*

Quod Messeniis modo dixerat, publicâ auctoritate dixerat; quod si Atheniensibus tunc idem non placeret, ii sibi non constarent.

*Insidias Philippi ostendit*

§ 20—22. a) ab Olynthiorum et Thessalorum exemplis.

§ 23—24. b) ab tyrannorum naturâ.

Sententia. Diffidentia est unicum munimentum contra tyrannos.

§ 25. c) Exhortatio ad Messenios contra Philippum ut libertatis inimicum.

Hactenus oratio ad Messenios.

§ 26—27. d) Exhortatio ad Athenienses. Accommodat narrationem ad Athenienses excitandos, Peloponnesiis multo prudentiores et sagaciores, sed deceptos a Philippo per proditores, qui pacis iniquae ac perniciosae auctores vehementer castigantur.

E. Perfidia Philippi maxime apparet in pace inittä quâ insidias Atheniensibus struxit per malos legatos et per Thermopylas obsidendas.

„Dadurch sollte die Erinnerung an die Uebel nachdrücklich erweckt werden, welche eine allzu grofse Leichtgläubigkeit und Mangel an Mißtrauen erzeugt hatte; und diese Erinnerung, die dem allgemeinen Zwecke der Rede entspricht, konnte noch insbesondere

den Rednern der philippischen Parthey ein Hindernifs werden, zum Besten des Königs zu sprechen, oder, wenn sie es wagten, die Kraft ihrer Gründe lähmen.“ *Jacobs.*

*Perfidia apparet:*

a) In legationibus duabus de pace ineundâ, unde respublica malis laborat et recenti difficultate.

§ 28—31. Difficultatem respondendi solvendam esse iisdem, quorum pollicitationibus iniqua pax facta sit.

Quod quum Demosthenis aemuli facere non possint, amplificatur difficultas atque exaggeratur metus Philippi, ut omnino status et conditio civitatis luculenter appareat. Similem artem orator adhibuit Olynth. III. § 13.

§ 32—33. Excusatio liberioris orationis et gravis admonitio.

b) In Pylis obsessis et Phocensibus perditis.

§ 34—36. Perstringit Aeschinem, qui a Philippo corruptus Athenienses deceperit, ut rex et Pylas obsidere et Phocenses perdere posset.

*Epilogus.*

§ 37. Optatio modesta.



## Schulnachrichten.

Auch diesmal hat das Gymnasium wiederholter Beweise eines wohlwollenden und edeln Sinnes sich zu erfreuen gehabt. Es sind nemlich der Wittwen- und Waisen-Casse der Classenlehrer, wie mit innigstem Danke hiermit zur allgemeinen Kunde gebracht wird, folgende Gaben zugewendet worden:

am 18. April von Herrn Carl Friedrich Pfeffel . . . . .	11 fl. 6 kr.
— 19. April von Herrn Spitalmeister Anton Antoni . . . . .	2 „ 42 „
— 27. Mai von Herrn Syndicus Curtius . . . . .	8 „ — „
	21 fl. 48 kr.

Zu der bevorstehenden Prüfung und Progressionsfeierlichkeit, welche beide im Kaisersaale gehalten werden, habe ich die Ehre alle Hohen Gönner und alle Hochgeschätzten Freunde unserer Schule ehrerbietigst und ergebenst einzuladen, namentlich die Hohen und die Hochwürdigen Obern, die Hochlöblichen Bürgerrepräsentanten, die Hoch- und Hohehrwürdigen Geistlichen aller Confessionen, die Gelehrten und Gebildeten jeden Standes und jeden Faches und die Verehrtesten Eltern unserer Schüler. Möge die zahlreiche Gegenwart Derselben unsere Prüfung und Feierlichkeit verherrlichen und der hoffnungsvollen Jugend zur Ermunterung dienen!

### Hochobrigkeitlich genehmigte Anordnung der Prüfungen.

Mittwoch den 27. August, Vormittags. Selecta und Prima.

9 bis 9 <sup>3</sup> / <sub>4</sub> Uebung im Lateinreden . . . . .	Herr Prof. Weber.	
9 <sup>3</sup> / <sub>4</sub> bis 10 <sup>1</sup> / <sub>4</sub> Homers Ilias . . . . .	„ „	Schäffer.
10 <sup>1</sup> / <sub>4</sub> — 11 Mathematik . . . . .	„ „	Herling.
Nachmittags. Secunda.		
3 bis 3 <sup>3</sup> / <sub>4</sub> Geschichte . . . . .	„ „	Schwenck.
3 <sup>3</sup> / <sub>4</sub> bis 4 <sup>1</sup> / <sub>2</sub> Mathematik . . . . .	„ „	Herling.
4 <sup>1</sup> / <sub>2</sub> bis 5 Horaz . . . . .	„ „	Weber.

Donnerstag den 28. August, Vormittags. Tertia und die zweite Abtheilung der Englisch Lernenden.

9 bis 9 <sup>3</sup> / <sub>4</sub> Griechisch (Jacobs Attica) . . . . .	Herr Prof. Rödiger.	
9 <sup>3</sup> / <sub>4</sub> bis 10 <sup>1</sup> / <sub>2</sub> Lateinisch (Cicero) . . . . .	„ „	Rödiger.
10 <sup>1</sup> / <sub>2</sub> bis 11 Englische Sprache . . . . .	„ „	Will.
Nachmittags. Quarta.		
3 bis 4 Lateinisch (Jacobs) . . . . .	„ „	Thilo.
4 bis 5 Griechisch (Jacobs) . . . . .	„ „	Thilo.

Freitag den 29. August, Vormittags. Quinta.

9 bis 9 <sup>3</sup> / <sub>4</sub> Religion . . . . .	Herr Prof. Hefs.	
9 <sup>3</sup> / <sub>4</sub> bis 10 <sup>1</sup> / <sub>2</sub> Latein (Krebs) . . . . .	„ „	Hefs.
10 <sup>1</sup> / <sub>2</sub> bis 11 Rechnen . . . . .	„ „	Günther.
Nachmittags. Sexta.		
3 bis 4 VI. a.) Lateinisch . . . . .	„ „	Günther.
4 bis 5 VI. b.) Lateinisch mit Rücksicht auf die Muttersprache „	Dr. Minner.	

### Progression. Montag den 1. September, Nachmittag 3 — 5 Uhr.

Choral. — Nach der Eröffnungsrede werden folgende Schüler die Ehre haben Versuche eigener Reden vorzutragen:

- Erst Joseph Georg Kilp, Primaner: über Marius.  
 Karl Georg Ludwig Brentano, Primaner: über Kaiser Constantinus.  
 Georg Gottfried Clausius, Secundaner: über Socrates.  
 Philipp Jacob Simon, Selectaner: de Servio Tullio.  
 Versetzung und Preisvertheilung. Gesang.